



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De morte Ludolphi monachi de porta, cap. 18.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

lum. Hæc mihi de obitu monachorum Claustrensiū comperta sunt. APOLLONIVS: Si dæmones electis in morte sic sunt importuni, quid sit de reprobis, quorū peccata sanctorum Angelorum impediunt præsidia? CÆSARIUS: De hoc satis dicturus sum in sequentibus, Mors Cunonis aliorum militum obitus ad memoria mihi reuocat, qui malè quidem vixerunt, sed felici fine decesserunt.

## CAPVT XVIII.

**E**RAT quidam miles in Saxonia, Ludolphus nomine, sed tyrannus actione; hic cùm die quādam vestibus nouis atque scarlati indutus in via equitaret, rusticum cum curru obuium habuit; cuius cùm vestimenta ex rotarum impulsu luto aspergerentur, ipse, vt pote miles superbus, commotus valde, extracto gladio, homini pedem amputauit; qui postea, Deo miserante, de peccatis suis dolens, in domo ordinis nostri, quæ Porta vocatur, factus est monachus. Non multo pòst, in grauem infirmitatem incidens, cùm quotidie à se mala commissa deplangeret, & maximè abscissionem iam dicti pedis, infirmario se consolanti respondit: Non potero consolari, nisi vi dero signa Iob in corpore meo. Et ecce post dies paucos cicatricem, instar fili coccinei, contemplatus est circa talum suum in eodem pede & in eodem loco, ubi rustico pedem truncauerat, qui paulatim cœpit computrascere, ita vt vermes de eo scaturirent. Tunc repletus gaudio ait; Modò de venia spero, quia video signa Iob in corpore meo, sicque in multa cordis cōtritione atque gratiarum actione, inualescente morbo, spiritum reddidit. Hæc mihi relata sunt ab Abba ce Liuoniæ, qui filius est domus supradictæ.

## CAPVT XIX.

**A**lterius cuiusdam militis mortem valde pretiosam retulit mihi Adam monachus de Lucka, cuius in superioribus memini. Erat, inquit, in Saxonia miles quidā Alardus nomine, qui vir fuerat tante probitatis, ut in primo torneamento, in quo miles factus est, manu propria quatuordecim dextrar

rios